

C. 2. DE TIBIIS VET. 159
Erat, inquit, *Medicus arte insignis nomine Charicles, omnes quidem valetudines regere Principis solitus, consilii tamen copiam præbere.* Statuas habebant publicas qualis apud *Ursinum P. Pupii*; idque non immerito, cum eleganter *Seneca* de Benef. adversariis respondet, quædam pluris esse quam emuntur: *Emis à Medico rem inæstimabilem, vitam & valetudinem.* Missas facio hic aliorum controversias de Medicis apud Romanos vel servis vel civitate prohibitis, cum distinctione tamen admittendas, quas ad alium forum relegabo, Volumini Antiquitatum Medicarum eas reservaturus. Non enim hic loquor vel de iis, qui olim certis quibusdam corporis partibus addicti artem ignobilem exercere, vel de *Pharmacopolis*, qui olim *Circumforanei*, ex mente *Ciceronis* in Orat. pro Cluent. & *Horatii* Serm. lib. 1. Sat. 2. Quibus suum addit calculum ætate posterior *Gellius*, lib. 1. cap. 15. apud quem ita *Cato*: *Itaque auditis, non auscultatis, tanquam Pharmacopolam,*